



NABUCHODONOSOR magnus, qui ab Hebræis Nabucadnezer dicitur, imperavit Babylo- niis anno 4. regni Elia- cim Regis Iudæ: qui erat annus mundi 3329. ante Christū na- tum 633. Hic bellum cum Pharaone Necho siue Nechaone, gessit, vicit, & totam Syriam vsq; Pelusium, Iudæa adempta, suæ ditioni adiecit: Ioachin seu Eliacim, Regem sibi tributarium fe- cit, quem postea tributum recusantem, cepit, ligavit vt Babylo- nem duceret, attamē interim curavit interfici. Iterum Ierusalem tempore Sedechiæ obsedit, habens principem militiae Nabufar- dan, filios Sedechiæ occidit coram eo, ipsūque patrem exocu- lauit, vincitūque catenis abduxit Babylonem: templum succen- dit, ciuitate capta ac direpta. Tandem regno ob insaniam pulsus, cum feris septem annis in agro egit. Vide apud Daniele m huius somnia de quatuor regnis mundi, item de aurea statua quam ado- rari iussit, vide Iosep. lib. 10. ca. 7. & sequen.

SEDECHIAS, qui & Mathanias, Iosia filius, imperavit Iudæis an. 11. à Nabuchodonosore susceptus in locum Ioachin, hac conditione vt tributum ei persolueret, verū fidem illi fre- git, spernens etiam consilia Ezechielis ac Ieremiæ. Quare anno regni eius nono Nabuchodonosor obsedit Ierusalem, quā post 2. an. cepit, Regemque cum populo in Babyloniam abduxit, an- no mundi 3348. ante Christū natum 614. Hæc est illa mise- ra, ac vulgata captiuitas Babylonica annorum 70. Vide libr. 4. Reg. 24. & 25. ca. & lib. 2. Paral. 36. cap. Iere. 25. 37. & 52. cap. & Ezechie. 12. & 21. ca. & Iose. li. 10. ca. 9. & 10. Sedechias filios occi- di vidit, statimq; ipsimet Sedechiæ eruti sunt oculi, vt supra dixi.